SJ meam paupertatem et miseriam nō digna mini respicere. saltē obedientis ꝺ̄o ſūmo uro Regi atqȝ imperatori. Js fecit et instituit vos in ſu os elemoſinarios: quibus incumbit indigenti bus neceſſaria impartiri. ¶ Specialit̄ te virgo glorioſa instituit theſaurariā gratie. matrem miſericordie nutricem orphanoꝝ. deſolatorum ꝯſolatricem. aduocatricē et cōſultricem. ¶ Ad te igitur ꝯfugio. te requiro p iſtorū officiorū vir tutes. ne michi deficias in hac diſtricta neceſſi tate. Jmpertire michi de theſauro gratie. nutri. ꝯforta. et ꝯſule. et ſi non propter me cū ſim indigna omni munere gratie. tamen propter te et propter tibi cōmiſſum officium. legittime ſcd̄m inſtitucōem ſūmi exercēdum.

ADhuc dico voƀ o glorioſi ſancti dei omnes ꝙ apud me eſt ſignetū ſūmi regis: ad ele moſinam veſtrā pcipiendā. Cognoſcitis haut dubie ſignetū. Hoc enim nō ignoratis. ꝙ ſine ſpeciali dei inſtructu. nec poſſem nec ſcirem ad vos pertingere. pro veſtris requirendis elemoſi nis. Non ergo veniens cū ſigneto. a vobis au diri debeo et veſtram alimoniā pcipere. Jnfallā ter enim me deꝰ ad vos mittit: quos nouit hu iuſmodi elemoſinis habūdare Ne igitur me co egeritis ad ipſū reuerti: et de veſtra repulſa que relam exponere. Loquor et preſumens fateor

ſed neceſſitas ꝑte ex vna et diuina benignitas ex alia me tranſmittūt ad vos ⁊ a hunc auſum ſic loquendi prebēt. Cum ut verum canit pro uerbium. quod dominꝰ cōcedit ⁊ non iure fami lia denegabit liberalis dominus ⁊ liberales habe bit ſeruitores. ¶ Sed forſā michi dicet aliquis cum deus ut aſſeris. tibi velit elemoſinam impē dir ⁊ ab illo petes. Per ſeipſum enim ſi volet tibi quod petis largietur. Ad ego reſpondeo. Que gratia queſo. ſanctis eſſet habenda. ſi nullo ſu o medio michi deus per ſeipſum ſubueniret. Qua inſuper racōne. gratiarum elemoſinas ad ſupereffluentem menſuram accepiſſent ſācti. ſi nō inde ceteris indigentibꝫ eſſent diſtributuri Itaqꝫ hec dei volūtas ē. ut ſuos veneremur ſcōs illos deprecantes a requirētes. illiqꝫ nobis ſuc currant. ſuas nobis donantes et impartientes gratias. Talem quidem decet dominū. tales habere elemoſinarios. qui videlicet querelas verecūdoꝝ pauperū audiāt ⁊ q̄ ſine medio prin cipē adire non audent.

¶ Item Ad oēs ſāctos

Rurſus q̄ro. ꝓpter q̄d me repellitis. ſi ꝓpt mea pctā q adūſus me clamāt atꝫ obiciūt. Heu q̄ſo. dabitis vos pociꝰ audiēciā ſiceqꝫ a fa uorē hijs cruētiſſimis adūſarijs nō modo meis verꝫ etiā a uris quos miro mō exoſos habetis

q̄ veſtre ſorori paupcule que vtiq; creatuā eſt
⁊ factura dei veſtri ſum̄i principis. Exclamant
fateor et ſtrepitum magnū veſtris auribus in
gerūt aduerſari iſti ſcilicet peccata mea. meq; ſi
bi obligata aſſerūt. cū illa cōmiſerim: ſintq; o
perā mea. Silete ſilete infideles aduerſarij. vos
reprobo ⁊ abnego. Per vos enī nimiū decepta ſū
Penitco. decepta ſū nō dimidietate iuſti pcij:
ſ; in toto. Iterū igit̄ atq; iterū doleo: vos fugio ⁊
maledico. Iuſtūq; bellū adūſus vos indico. In
q̊ vtiq; bello. m̄ eſſe debet auxilio. oēs q̄ partē
dei fouēt: eiq; fideliť ſbiecti ſūt ⁊ ad fidelitatem.

¶ Ad oēs ſāctos

Qvid queſo glorioſi milites dei aliud facere
valeo dicite michi. ſi temerarie aliquid o
perata ſum. ſi in aliquo exceſſi. Heu non in uno
tantū: ymo in mille milleſies. ¶ Non aliud m̄
eſt remedium. q̄ ſine fictione penitere atq; in
poſterū pcauere. ⁊ propoſſe id proſequi qd no
uero veſtro ſimul ⁊ meo Imperatori diſplicere
Hoc aūt faciendo. michi vtiq; debetis eſſe cōſor
cio. cū id fiat in honorē illius. quē tam ſingulari
ter diligitis atq; honoratis. ⁊ id vtiq; cuenieť
facere poteritis. ¶ Sed michi obicietis q̄ min⁹
debito. hos proſequor aduerſarios. ymo ſepi⁹
proditrix exiſto. cū illis rurſus paciſcendo et tra
ctādo. illoſq; humaniť recipiēdo atq; honorādo

¶ Ad hoc ꝑfecto quid dicã ignoro Ceſſant oẽs
mee allegacõnes. Ignominia. rubor ⁊ ꝯfuſio ꝛ ir
ruūt ſup faciē meam. In hoc me fateor ꝯuictã
⁊ dignã omni obꝓbrio. Hic itaqꝫ nil aliud re
ſpondeo niſi ꝙ miſericordiã peto. Miſericordiã
inq̃ ⁊ indulgẽtiã. gratiã ⁊ veniã. Hoc ſatis ſit
vobiſcū hoc reſpõſum ſufficiat. Si cẽcies a pug
na fugio. ⁊ cencies reuerter. noſter iubet Impa
tor ne repellar. Uerum hec eſt principalis mee
peticõnis cauſa. ut veſtro preſidio ſic munita
ſim. ⁊ talem in me ſuſcipiam animum. ut ãmo
do non reuertar ad illius mei aduerſarij ſepe
dicti ſcilicet peccati maledictū conſorcium. ꝙ qꝫ
ſuis inſidijs promiſſis ⁊ cautelis ãplius me nõ
detineat. aut in quocūqꝫ ſuperet. Non vtiqꝫ a de
bili. egrota et proſtrata vltra vires exigetis.
ꝓ Facile fateor eſt de me triūphum ſumere. pro
na ſum ad decepcõnem. Hec eſt mea miſeria et
quod plus ẽ nõ ea diligẽcia qua deberẽ. veſtrū
peto ⁊ expecto ſubſidium. ymmo in hoc ſum ſom
pnolenta. deſes ⁊ in attenta. ⁊ hoc eſt heu vnde
ſūme doleo. quod nunc queror ⁊ deploro. hoc ẽ
pro quo vos deprecor. ꝓ quo veſtris aduoluor
pedibꝫ. ꝓ quo veſtrã intercello gratiam et pre
ſidium poſco ut ex nunc ſim robuſtior. magiſqꝫ
ſollicita ex toto corde ad vos ĩ meis aggreſſibꝫ
⁊ aduerſitatibꝫ recurrere.

Ad omnes ſanctos.

Minime opꝰ eſt o glorioſi ſancti dei. veſtras
diuicias. veſtrā gloriā in aliq̄ diminui dū
m̄ ſuccurritis. Nichil a vobis preter verbum. a
ut pro me apud deum. quibus oportuna ſaluti
m̄ proueniant: dignas preces dirigātis. Nō ar
bitror tā anguſtam eſſe veſtrā caritatē. veſtrā
qꝫ largitatē: ut hoc m̄ denegetis. Incōpabilis
quippe eſt modica illa caritas. ſi vel modica in
me ſit: ardēti illi fornaci veſtri amoris. Et cū ne
mo adeo michi ſenſetur alienus etiā ſi iudeus ł
gētilis. p̄mo ſi patris aut matris occiſor cui cor
de ſincero. p ſe aut per alium. pro ſe preces ad do
minū per me fieri inſtāter requirenti non liben
ti animo acquieſcerē. quo igitur pacto. pro me
apud deum nō intercedetis. cum ſim criſtiana a
veſtra ſoror in fide. a vos ad id faciēdū inſtan
cius interpellem. preſertim cū vos in nullo of
fenderim. Et ſi offendi doleo: a veniam peto.

¶ Cū profecto. talis ac tāta ſit veſtra dilectio.
tamqꝫ ampla largitas et extenſa: preſumi nō
poteſt. ut qd̄ tam humiliter ac decenter peto. m̄
recuſetis. Quod ſi feceritis: bene michi vtiqꝫ e
rit. quoniā certus ſum. ꝙ apud deum infallant'
impetrabitis quidq̄t pro me pecieritis. Cur eni
vellet ipſe. me vos deprecari. veſtramqꝫ oracō
nem ad meam inſtāciam ſicut incenſum dirigi

in ꝯſpectu ſuo. niſi vos duceret audiēdos. Nūq̄
vobis talē afferret cōfuſionē: ut vos vacuos a ſe
repelleret. Que etiam eſſet illa veſtra felicitas
ſi nō repletur deſideriuuu veſtrum in omnibus
que poſtulatis.

Adhuc preſumam amplius et dicam. q̄ de
us per os veſtrum et per veſtram doctrinā
mandatum michi dedit ut ad ipſum et ad vos
ſit meum refugium in omnibus neceſſitatibus
meis. Cum igitur hoc preceperit deus. et ſub hac
fiducia vos interpello. quomodo credi poterit
q̄ vnum iubeat et alterum faciat. atq; ita michi
non ſuccurratis. Jubet quippe per vos ipſos. ut
ſemper ſit ſpes mea in ſuam bonitatem. Et ita v
ſiq; eſt. in tantum ut etiam ſi me occidere volu
erit: nichilominus ſperabo in ipſum. Nō igitur
ob aliud vult me ponere ſpem in ſuum auxiliū
niſi quia vult michi ſuum et veſtrū auxilium pe
tēti aſſiſtere. ¶ Quod ſi michi quis dixerit hoc in
telligēdum eſſe. dūmodo bona et ſancta ſit hec
ſpes mea. et nichil contra mandata eius admi
ſero. Deu me hoc eſt precipuū. propter quod
bonum arbitror ponere in domino deo ſpem me
am. et eius inniti auxilio. ut videlicet ſuo mune
re. michi ſit perſeuerancia in obſeruancia mā
datorum ſuorum. et tandem in extremis inue
niar in gratia et in ſuo ſeruicio. Et ſi nō cōcedetur

michi hec grā intuitu precū mearum. ſaltem cō cedetur ꝓpter diuinum mādatum quo ſtimulor ad petendum.

Conſidero inſup ꝙ ſi veſtrū q̄libet. vnū dei indultū ſeu remiſſionē impetrauerit. mag nis habūdabo diuitijs. Minime autē difficile eſt ita impetrare. ymo longe plus q̄ꝫ petere pre ſumerem. quoniā ⁊ ſi magna recipere non me rui: veſtra tamē largitas expoſſit ut magna m̄ tribuantur. Sed ⁊ mea ingens neceſſitas. pre ſidium magnū efflagitat: nō alibi q̄ꝫ aput vos inueniēdū. ¶ Qđ ſi quis dixerit. hanc elemoſi nā bonis opib⁹ et legittimis ad vos obſequijs eſſe michi ꝯſuequēdā. Reſpōdeo ꝙ iā eſſet ele moſina quodāmodo vendica nō donata q̄ꝫuis tamen id modicū honoris. qđ vos interpellās meq̄ꝫ ſubiciēs ⁊ humilians vobis perpendo. q̄ dam iure poſtulat. ut quadam viciſſitudine michi ſuccurratis. atq̄ꝫ ita nō in vanū ſpem me am atq̄ꝫ refugium in vob̄ poſuerim. Fateor q̄ de me. non cōdignū ad vos habere honorem ⁊ a morē. ſed debilis ſum viribus. ⁊ facultatib⁹ in ops. de modico aūt. modicū grate ſuſcipiendū eſt. Itaq̄ꝫ dū ero locupletior in donis ſpirituali bus habūdātibus. opulentiori corde vos hono rabo: vos amabo. Dico inſup ꝙ noui pſonas a liquas abſq̄ꝫ litteris etate etiam iuuenes. q̄rū

cōuerſacō ab vtero fuit in campis q̄ nichilomi
nus ex vehementi affectu largiendi aliis dū ſi
bi nichil donādū adeſſe videret. voluerūt id ua
ſculū in quo ſepeliri debuerāt in elemoſinā puer
ti. ſeq3 nudas in terra pici a exponi vermib3. fu
it hoc nobile teſtamētū. Qd ſi vna pua ſintilla
caritatis. tantum opus hic deciſū valuit efficē
re. tātāq3 ſuſcitare flāmam exterius ad ſubuē
cionē alterius. q̄d queſo eſſe debebit apud ve
ſtrā habundantiſſimā ardentiſſimāq3 caritatē
circa nos pauperes. Qualem emittet ille ignis
flāmam. quale inſup opus demōſtrabit. ¶ Cō
uerto preterea cōſideracōnem mētis ad illā ve
ſtrā caritatem atq3 largitatē. quam dum hac
mōrli vita cōfūgebamini. erga paupes habui
ſtis vnde magnū certiſſimūq3 auſū cōcipio ad
vos interpellandum. ſperans vtiq3 michi veni
re deſuper auxilium. cum indubie nō diminuta
ſit per gloriam veſtra caritas. ymo ineſtimabi
liter aucta a perfecta. Et ſi enim vobis deſit mi
ſeria z miſericordia tñ adeſt cū illi ſitis propin
quiſſime iuncti cui ꝓprium eſt parcere a miſere
ri. Non ſufficeret tēpus. nec lingua aut intelli
gētia. illa numerare pietatis opera. que vobis
vr̄a ſuaſit caritas erga paupes exercē. Que eni
egritudo miſeria aut pauptas inuaſit hoies cui
mox nō eſſetis preſidio ſanando ſuccurrendo,

famē·ſitim·algorem paciendo·ut alios paſcere
tis et reficeretis. ¶ Alter veſtrū ſeipſū in ſeruū
venūdauit ut filiū pauperis vidue de manib9
hoſtium liberaret. ¶ Alter ſe mortis periculo cō
miſit:ut hinc alium eriperet. ¶ Alter diuiſit ve
ſtem qua indutus erat hyeme profunda:ut a
lium nudū hinc tegeret. ¶ Alij nec metu mor
tis imminētis a pietate ſepulture mortuorum.
aut viſitacōe captiuorꝝ retrahi potuerūt ¶ Alij
tanto gracie priuilegio donati ſūt ut etiam iu
defuncti·de ſuis corporibus oleū miniſtrent ſa
nādis egritudinibus oportunū. Hec autē que
loquor non niſi corporalibus defectibus ſblevā
dis deſeruiūt. quos reuera in cōparabiliter ſupe
rant anime·ſpirituales indigencie ac neceſſita
tes. tāto illis periculoſiores·quāto corpori mor
tali·preeminēt anima immortalis et mors eterna
magis timenda eſt ꝙ tpalis et tranſitoria. Cū
igitur nichil veſtre caritati iam deperierit·ꝑmo
multum accreuerit perfectionis. quāto magis
nūc ꝙ tunc ſuccurretis. Succurretis inꝙ michi
vos inſtancius in tanta neceſſitate requirenti.
preſertim cū de hijs mea ſit apud vos obſecra
cio·que longe plus diuinū honorē ac veſtram
laudē cōcernūt ꝙ qlibet corporū ſubuencio.

¶ Ad omnes ſāctos.

ET vere ita eſt q̄ etiam in carne viuentes
maiorē longe caritatē ad ſalutē aliorū de
monſtraſtis: q̄ lingua ſufficiat exprimere. Nec
enī qualibet acerbiſſimā penam. aut mortis qd
cumqȝ horrendum genus perhorruiſtis dum in
mediis tormentis conſtanter verbum fidei ſa
lutaris predicabatis. ad illuminandū eos qui
in tenebris ydolatrie ſedebant. ad dirigēdum
pedes eorum in viam pacis. Heu glorioſiſſimi
ſancti. iam nec vos mori oportet. nec huiuſmo
di perſecutores et tormenta perpeti. ad michi aux
ilium ferendum. ad me ſanandum. ad me illu
minandum. ad mediumqȝ dirigendum per tra
mitem virtutū. nec aliud circa hoc peto. niſi tā
tūmodo conſenſeritis. vel dominū oraueritis ut
ita fiat queadmodū fieri deſidero. et tunc abſqȝ
dubio fiet. Siquidem nichil vobis denegandū
arbitror a patre miſericordiarū. Mala quidem
ſū fateor. et viciis vndiqȝ irretita. Id enim heu
nimis experior. ſed deo protegēte. non vos per
ſecuta ſum. non morti tradidi. et nichilominus
etiam pro hiis qui vos perſequebantur etiam
in mediis tormentis dum adhuc eſſetis hic ſu
perſtites orare conſueuiſtis. quāto magis nūc
ab hiis perſecutoribȝ immunes. pro me nichil
horum conſcia deprecari curabitis. Condona
te michi obſecro. nimiū forſā preſumenti et magna

exaltanti. Merito enim iniq̄ michi vos humili
ter ⁊ deuote deprecanti. aderitis adiutores atq̄
adiratores. q̄ iam tuti in gloria reſidetis. cū etiā
veſtra recuſantibꝫ ac ſpernētibus preſidia. vos
qꝫ atrocit̄ inſequentibꝫ voluiſtis adeſſe ꝓpiciꝫ
¶ Recedite a me. r̄ecedite inimici ⁊ vobis ſilenci
um indicite. Dicitis enim qꝛ fruſtra ſāctos im
ploro. fruſtra leuo in eos oculos meos. quoni
am de numero ſum reproboꝝ. ⁊ eterno dei iudi
cīo dampnacōni obnoxia. atqꝫ ob id ſancti dei
omnes. diuinā ſup hoc voluntatē ↄgnoſcentes
nulli⁹ momenti me reputāt ⁊ meas preces au
re ſurda ſuſcipiunt. O mēdaces atqꝫ infideles
hoſtes. quis vos ſuper hoc certiores fecit. Certa
quidem eſt hec de vobis ſētēcia: quoniā irreuo
cabiliter dampnacōi tradidi teſtis circa me cer
te non eſt. quoniā ſi me deus dāpnar̄e voluiſſet
iā dudū id facere potuiſſet. Si quidē hoc dudū
demerui. niſi miſericordia eius preueniſſet me.
Si etiam me dāpnacōni tradendam decreuiſſet
nūquid michi ſuo munere hoc tā vehemēs ad
eſſet penitēdi deſiderium. ſuūqꝫ patrociniū me
diis ſāctoꝝ ſuorum interceſſionibus imploran
dū. Scio profecto. quicq̄t vos iniqui hoſtes ini
qui dixeritis. me nūc in ea vita adhuc ſubſiſte
re. in qua michi facultas eſt meā dco ꝓpicō ſa
lutem operari. Nec id michi dubito futurum. ſi

in toto corde ſcrutata fuero mādata eius. Scio inſup id me ſuo munere. et ſuorū ſanctoꝝ preſi dn̄s hoc poſſe adimplere. Simite igit̄ hoſtes ne quiſſimi. amplius ita me ad deſperacōem per ſequi: quia minime preualebitis. Et quod am plius eſt. quid q̄ in futurū circa me facere diſ poſuerit. ſua enim ſum. qua pro ſuo poteſt vti libito. inſtitui nichilominꝰ q̄ diu tempus gra cie eſt. et facultates ad hoc aderunt. ipſum dili gere. optimumq̄ʒ ac iuſtiſſimū indicare quod vos ipſi omnes inimici veſtro in malo. impe diente obſtinacōne. minime facere valetis. In quo vtiqʒ veſtri ſtatus deterior extat con dicio. cum ille vobis odio ſit cui proprium eſt eſſe ſummum bonum. Illumqʒ iniuſtum ac crude liſſimū cenſeatis: quem conſtat eſſe iuſtiſſimū ac pijſſimū. Abſit igitur vt vobis ſimilis fiam Cur enim ſalui fieri nō valetis. niſi quia indul gentiam poſtulare non vultis. Non itaqʒ ſic faciam. ꝑmo inceſſanter indulgentiam petam et requiram. Ipſe eciam michi mandatū dedit ut ſpem in ſuo reponam auxilio. quod minime faceret. ſi me ſtatuiſſet condempnare. Cur que ſo michi bone voluntatis preberet initiū. cui cō plemētū dare nō vellet. Cur me ad meditacō nē ſui. inſup et ſui cultus deſideriū cōmoueret. ſi non me id ſemp uſqʒ in finem vellet eē facturā

Idcirco ſcitote fallaces·illi pocius q̃ vobis fidē
adhibebo·nec ab inuocacōe ſui patrocinij vlla
tenus deficiā. Diſcedite itaq; hinc·⁊ mala vr̄a
hora huc veneritis·⁊ ad veſtrā ↄfuſionem me
oracōni dare finē. Nec enim a ↄſpectu ſāctoꝝ q̃
bus aſſiſto·nūc abiboꝛ donec ſigno aliquo certo
michi innotuerit me fore exauditam. Quod v
ſiq; ſignū nō aliunde certius ſumēdū arbitror
q̃ ſi in ꝓfunda humilitate·meos defectus·me
amq; pauptatē recognoſcam·⁊ ex toto illis in
tercedētibus in dn̄o habuero fiduciam. Et ſi
milleſies me ſeduxeritis ac deieceritis milleſies
reſurgam·quia michi ſemper aderit apta gra
tie porta. Illos in deſperacōem adducite·q̃ diui
nam bonitatē ignorāt·⁊ ſāctorum potēciā. vel
etiam qui eos exorare vel negligūt vel ↄtemp
nūt. Fruſtrati quippe eſtis fauente dn̄o·veſtra
intencōne circa me·nec opus eſt ut michi mea
peccata ↄmemoretis. inferentes hinc me celeſti
bus premijs eſſe penitus indignā. Id etenim
ſcio. Sed ⁊ ſcio q̃ pius ille meus pater Jheſus
xp̄s meū debitū ſoluit·⁊ mea omnia·quociens
cūq; michi diſplicuerint delebit peccata·michi
q; p̄cioſiſſimo ſuo ſanguine celeſte regnū lucri
fecit ⁊ emit ⁊ hoc titulo ⁊ nullo alio poſſeſſionē
hui9 regni preſtoloꝛ. ſic et olim ab illo glorioſo
btō bernardo in ſua viſione reſpōſū accepiſtis.

¶ Hic loq̄tur aīa inimicis volentibꝫ adhūc
eā in deſperacōem inducere.

Quid dicitis adhuc fallaces atqꝫ infideles
hoſtes. Dicitis hanc meā ſpē temeritatē
quādam eſſe ac preſūpcōem. quoniā non eſt
homo viuens ſuper terram quātūcūqꝫ grauis
peccator. qui ſe non confidat ſaluandum. Sed
plurima eoꝝ reſtant que ſtultus nō excogitat
dicitis inſuper multos in me cernere defectus.
quos minime diſcerno. neqꝫ obſeruatis vſqꝫ
in finē. cū me ſic inuadere atqꝫ circūuenire ꝑ
mitis. ut parū m̄ ꝓdeſſe poſſit hec ſpes mea quā
p̄ſūptuoſam temeritatē appellatis. cū illius re
gis legem minime obſeruē. vnde ſpero auxiliū
Nec profecto per hunc modū me deicietis a ſpe
bona. O nequā ac deſperati. nō quidem dico m̄
hanc adeſſe fiduciam. ut abſqꝫ obſeruancia di
uine legis ſaluari preſumā. eēt hec indubie. nō
ſpes ꝫ preſūptuoſa temeritas. Huiuſmodi ſūt
ꝙ plures. qui ſine penitencia. ⁊ correctione ma
le vite deum eos ſaluaturum arbitrātur. dicen
tes non ideo eos deum feciſſe ut condempnet.
Abſit ut ſic ſpē meā inſtituā quinymo ſūme cu
pio in melius reformari. ⁊ legē totā adimplē
ſine qua impoſſibile ēſt ſcio. me ſaluari. Ad
id autē faciendū. michi cōfido preſtari vires a
dn̄o. ⁊ ſuorum ſāctorū ſuffragijs. Et ꝙuis iam

ignorē an ſim in gracia vel non·aut ſi in ea per
manebo:ſpero nichilomin⁹ ꝙ deus tandē meas
illuminabit tenebras ad diiudicandū illos in
me defectus·quibus forſan ad preſēs a gratia
dei ſū aliena·Id ꝙ ipſum cotidie deprecor ut ſic
de tenebris meis lumen faciat ſplendeſſere· ꝙ
inimicis tandē dicere non incubat:nos eam ꝓ
ſtrauimus·nos eā ſuperauim⁹·Ipſum inſup in
ſtancius exoro·ut me inſtruat quo pacto legit
tima ſeu integ͂ ꝯfeſſioe·ł quomōlibꝫ alit a pecca
tis quibus forſā ignorans ſiue irretita: libera
ri valeam·Et quidem videtis qualiter ego fre
quēter meipſā preparo·ut ſciam quid reſpon
ſura ſim in illa extrema hora mortis·quādo ſum
a corpore migratura·et ad ſciendū ſume anhelo
¶ Sit igitur hec vobis mea reſponſio· videlicet
ꝙ celeſtiū bonorū retribucōnem·peto ſub titulo
et in ſpe mei glorioſi redemptoris Jheſu xp̄i·qui m̄
ius in ill' vendicauit et ob id ſuā michi impтiri
miſericordiam precor·qua in primis a peccatis
meis ex mera ſua gratia ſuā auertat faciē et om
nes meas deleat iniq͂tates·et exinde me faciat·
ſue legis factricē et mandatorū eius·Scitis ne
hic quidq̄ dicere·Quid ad hec reſpondebitis·
o vos inimici immortales·qui veſtris fraudibꝫ
male me deterrere ſatagitis·quid vobis ampli
us reſtat replicandū·Si deus pro me quis ꝯtra

me. Quis me accuſabit. Quis me condẽpnauit
Nõ vos profecõ tortores. nullã niſi quãta vobis
permiſſa eſt diuinitus habentes poteſtatem.
Diſcedite igitur cũ omni veſtra confuſione et ig
nominia. ¶ Reuertar ad vos glorioſos celeſtis
curie ſanctos. ex quo hijs tñdi proditoribus
inimicis qui precipue in cõſpectu veſtro michi
continuas parãt inſidias me quo ad poſſunt
impediẽtes. impugnãtes Nõ ꝑfecto vos in hoc
venerãtur. Nũquid nõ ero. dũ vr̃is aſto cõſpe
ctibus vr̃ã autoritate ꝓtecta. Nũcius etiã in
medijs hoſtibꝫ tut9 erit. Nũc autẽ hos cernitis
ꝑfidos hoſtes ad meam que vobis velut nũcia
dirigitur dirimẽdã lacerandamqꝫ oracõeꝫ niti
meqꝫ deorſũ de ꝑadiſo velle precipitare. Omni
igitur iure illos odio habebitis. nec eos audie
tis aduerſus me. ſeu aduerſus meam deuotã o
racõnem vociferantes. vos inq̃ꝫ hoc videntes
ac cõſpiciẽtes. Et ſi non alia ſubeſſet vobis cau
ſa miſerendi m̃ pauperi veſtri ſorori iã diucius
vos deprecanti q̃ꝫ illoꝝ ſpretus racõnabilis. et
gaudij ſubtractio. que vtiqꝫ me vos repellẽtes
eis afferretis poteritis nichilomin9 et debebitis
meo videre me audire ac replere mee indigen
cie ſaccum ab vbertate elemoſinarum veſtra
rum. ut ſic cum gaudio et profectu ad patris
mei celeſtis honorem. et ad veſtram laudem et

gloriam. inſup inimicoꝝ cõfuſionẽ · reuertar a
vobis exaudita .

Oracõ ꝓ alijs paupib; magni hoſpital' hui⁹
mũdi . et ꝓ detẽtis in carcẽ purgatorij .

Eſtimo q̄ ego a deo pdita ſim ac reiecta ut
pro me nullã elemoſinã valeam · aut debe
o meo q̄ſtu impetrare ſupplico ſaltẽ ne mea mi
ſeria fiat nocumento ceteris paupibus magni
hoſpitalis huius mũdi . et carceris purgatorij
quos queſtuo et ꝓ quib; interpello . Satis quip
pe ymmo nimis magna eſt mea ꝓ me miſeria
abſq; hoc q̄ ceteris ſit detrimẽto · ſed et ceteri ſa
tis habũdeq; tua torquẽtur inopia · abſq; hoc
q̄ mea eis infeſta ſit dũ michi iã ex officiõ incũ
bit huiuſmodi pro eis queſtum facere · aut q̄
per eos ad hoc ſim deputata · aut requiſita aut
rogata · aut quia ob id aliqua ẽcepi tpalia · aut
quia michi ſanguine iuncti ſunt aut quia dum
eis vires ſuppetunt ſimile michi beneficium im
pendũt . Vererer profecto pro hijs ſpũales ele
moſinas non poſtulare ſcdm eorum indigenti
as · que multũ certe ſunt miſerabiles . Et haut
dubie non poterit elemoſina illic inutiliter acce
dere · quia et ſi non huic ſaltem alteri ꝯueniet .
Non eſt pauptas . infirmitas · moleſtia vel affli
ctio : que non inueniat' in hoc hoſpitali · atq; in
p̄fato carcẽ diriſſimo . Quidã nãq; ardẽtiſſima

febre luxurie correpti. adeo vehemēter crucian
tur: vt nec ad momentum resideꝛe aut quieſce
re poſſint. Alij auaricie ydropiſi turgentes: in
deſinenter ſitiūt. Alij corporis et accidie putreſ
cunt lepra. Alij velut canes furioſi iurgijs ac
detractionibus perſtrepunt. Alios porcina de
fedat crapula. Jllos ira vindicandiq; furor in
ſanire facit: hos inanis gloria tumeſcere. Alios
abſq; intermiſſione torquet inuidia: ita ut nec
alterius proſperā pacienter cernere ſinant. Ha
bet hic aures impias. ille cecos habet oculos.
ceteris cor grauiter laborat: plurimis nec vnū
menbrū validum eſt. Sūt qui per malā famā
vndiq; fetidi ſunt. Et ut breui ſermone multa
que ad plenum exprimi non poſſunt amplecta
mur: nemo ē qui non alicui ſibi accat indigētie
aut miſerie. Hic quidem plus: ille autem mi
nus. Quātum vero ad eos qui carceri purga
torij mancipati ſunt res ipſa patula eſt: pena
ſeipſam manifeſtat. Sunt nichilominꝰ hij de
ac ſue familie dilecti. poſt breui tpis interual
lū filij regis in gloria coronādi. ac ꝑinde meri
to eis elemoſina impēdēda ē. Et cū ꝑ ſeipōs mē
dicare neqant ego paupcula in ceteris ex ꝯpaſ
ſione moneor et impellor ut iam dixi pro eis
mēdicare: etiam ſi nichil hinc ſim ꝯmodi ꝑcep
tura. Offero igit̄ ſaccum mee mēdicitatis vob

opulẽtiſſimis elemoſinariis. Imponatis larga munera. hmôi infirmis ac captiuis eroganda ac diſtribuenda. vbi tam euidẽs inuẽta eſt neceſſitas. Eſt profecto pauptas non ficta. Nec enim eſt pauptas alia que pauptati peccati valeat cõpari. Plures quidem veſtrũ o glorioſiſſimi ſãcti dei experimento didicerũt qd nũc dico Ne igitur me vacuã remiſeritis a conſpectu veſtro. que tam iuſto titulo ⁊ in tanta neceſſitate vos interpellare ↄpellor. ¶ Oracõ ad dominũ Jheſum et ad glorioſam virginẽ Mariam.

O Certa ſpes finale refugiũ animarũ Jheſu xp̃e redemptor noſter. ⁊ tu virgo ſua mater glorioſiſſima. ⁊ ſi ego paupcula apud ceteros omnes ſãctos elemoſina gratie fraudarer. repulſãqȝ ab omnibus illis paterer ⁊ confiderem nichilominꝰ adhuc in excellẽti ſupħabũdãcia veſtre dulcedinis. miſericordie atqȝ largitatis vr̃e bonitatis immẽſe. Jn vobis ſiquidem duobus ⁊ p vos celebratũ eſt atqȝ pfectum nr̃e redemptionis opꝰ. datiqȝ eſtis ac ſpãliter ex officio deputati. adferendum opem miſeris ⁊ recõcilian dum peccatoẽs. Qui ſi vtiqȝ non fuiſſent. nec tu dñe Jheſu xp̃e humanitatẽ ſuſcepiſſes nec tu domina glorioſa fuiſſes effecta mater dei. Hic ſane repio meum quidẽ carne fratrẽ. meum eſſe deum ac meũ iudicem. Inſup ⁊ meam ſororem

optimam illius quidem iudicis matrem: meā
conſpicio factam aduocatam ac protectricem.
In hijs diues ſum: cum in meipſa ſim paupri
ma Apud hos q̄libet neceſſaria m̄ atq; oportu
na. copioſe reperire valeo. q̄ vtiq; michi utile ac
ſalutare m̄ denegabūt. Non egredienē pfecto
extra portā mee memorie. ſi non prius partē ſue
dulcedinis ac bonitatis guſtauero At ego qui
dem inter hec duo tam tuta preſidia collocata
quo pacto deficiam. cur non ſperabo. Cur diffi
dam. preſertim ſi non mea ignauia. eorum fece
ro longe a me auxilium. Et hoc vtiq; eſt pro
quo nunc inſtanter vos deprecor. vos exoro.
Vos inq̄ talem matrē talemq; filium. qui me
talibus tā̄q̄ ſolidis bone fidei vinculis vobis
iungi ⁊ conecti voluiſtis: vt veſtra protegente
gratia. nūq̄ a vobis valeam ſeparari. ſi in no
uiſſimo ſuſpirio mortis in hac ſpe et gratia rep
ta fuero.

¶ Alia oratio ad dominū Jheſum ⁊ ad glorio
ſā virginē Mariam.

O Me inconſultā deſidē atq; infelicem q̄ teme
ritate frequentē ab illa mei pr̄is Jheſu xp̄i
ac mee matris tuta protectione me ſubtrahē au
deo. Cur euagor p amaras voluptates. ⁊ p pieu
loſos riuos magni hui⁹ mūdi maris. Quid a
libi tā ſtudioſe pquiro. qd longe habūdanci⁹.

tuciusqꝫ hic patum inuenio·diuicias·honores
ſapiētiam voluptatem. Cur non expaueſco ne
dies mortis in eo ſtatu me preoccupet in q̄ me
o deſtituta preſidio· vadā preceps in profūdū
inferni vbi nulla eſt redēpcō. Cur recuſo. Cur
negligo in eoꝝ ſocietate p ſanctā meditacōem
verſari·quoꝝ ſolo preſidio cōſtat eſſe omne bo
nū adipiſci·malaqꝫ vniuerſa poſſe vitari. Ma
gna quippe eſt hec ingratitudo·magna inſuper
inhercia·ymo verius horrenda quedā miſeria
dū hoc michi ſemper dū venire voluero paratū
refugium·auxiliūqꝫ nō recognoſco. Verū o dul
ciſſime pater Jheſu xp̄e ac benignisſima mater
virgo Maria ouis illa ſū que ſepe nimis errās
pdita ē. Sū et illa fatuella deſidioſa errabūda
filia q̄ nō niſi tracta et coacta vult p vias rectas
incedere. Aſſumite igitur illius manū et tenete
nec eam ſuo dereliqueritis regimini quoniā ſic
cito in pdicōnem iret.

¶ Hic loquitur anima in tribulacōe exiſtēs ad
ſui ꝯſolacōeꝫ et paciēciā·plurimos tribulacō
nis fructꝰ ſibi ꝯmēorās Salutacō paciētie.

Optime venerit mea gracōſa domina tribu
lacio. et cū gaudio et affectu bono ſuſcepta
ſit. Meus quidem pater optimꝰ te miſit ad me
non dubito. Te ergo equiſſimo iure benigne
letanterqꝫ debeo ſuſcipere· nō indecent tractare.

aut repellere p impacientiam tibi aut iniuriā ir
rogādo. aut aduerſus te improbe murmurādo
Erraui fateor: venis de me iuſtā penā acceptură
Inſipiēs ſum ac ignara: venis me inſtructura
Deturpata ſum ac fedata: ad decorandum ac
mundandum me aduenis In deuiū pperor: ac
cedis ad dirigendum Mortem eternam deme
ruī: ad liberādum me feſtinas. Grauibus op
preſſa ſum debitis: releuarē me pretēdis. Elōga
ui me a facie patris mei Jheſu xpi ad me illi de
nuo approximādū recōciliandūqȝ profecta es.
Cum hijs quā me oderunt et occidere querunt
mihi cōſorcium: me venis eripere. Nunc pene ex
cecata ſum et ſurda. minimūqȝ mollis et laſſa in
omnibus menbris meis facta: veniſti ſalutem
ac robur largitura. Fiat igitur in me ac de me
ad plenū. ſcdm inſtitutum veſtri beneplaciti et
iuxta mandatum et commiſſionem optimi patris
mei. Gracias illi ago milleſimas. qui non ut e
go illum frequenter: ita me neglexit. qui me
nolens perdere. per te. me velut filiam dilectā
viſitat. que nec digna ſum ad ſuam graciā vo
cari. q̄ pocius mortē merui q̄p aliā quālibȝ diſci
plinā: et pocius horrendā pcēnam q̄p paternā
ac māſuetā correpcōnē. ¶ Verū te vnū deprecor
mea venerāda dn̄a. ut ea circa me cōmiſſione
quā a deo. non quā ab hoſte ſuſcepiſti fūgaris

ꝙqꝫ tuam ꝓ mēſura mee fragilitatis mitiges
diſciplinā· non me ſupra ꝙ̄ ferre valeo· graui
us affligēs. Quo nō obſtāte volo· ut nec clamor
nec gemitus nec actus· nec ſignū quodlibet in
me diſplicētie aut amaritudinis aut indigna
cionis te retrahant quo minus dulciſſimi mei
patris iuſſionem de me ⁊ ſup me· quātum ſuffi
cit impleas. Longe enim melius me nouit q̄d
michi expediat. Fiat itaqꝫ ut inſtituit ⁊ ſua nō
mea volūtas impleatur. Quātūcumqꝫ michi g̃
uis extiterit dolor ⁊ etiā ſi ferra ſi ignes ſi verberā
vulnera ſi diſpoſuerit· fiat voluntas eius· tātū
modo me in ſuam ſuſcipiat filiā· michiqꝫ ſociā
faciat· tuā ſororem paciētiā ⁊ ſine qua vtiqꝫ nimi
um dura es ⁊ minus accepta. Ita ſi michi fiat
ꝑfecto ſatis erit· nec aliā erga me peto clemen
ciam. Nimiū ſane dura· nimiūqꝫ dira michi fo
ret illa clemencia· que me ad breuiſſimi tempo
ris morā ſuſtineret· hui9 ſeculi abuti volupta
tibus· atqꝫ in ſtercore meo volutari ac putreſ
cere· donec in momēto infernalibꝫ canibus tra
deret deuorāda· illic moritura ſine fine. Longe
fiat a me talis clemētia ⁊ talis miſericordia. Ti
bi igit̃ magiſtra optima parere ne recuſē tuā
equanimiter ferēs diſciplinā· tuam ꝑcuſſionē
tuam quātūlibet duram correctionē. Tollera
re quippe oportet mala preſentia ⁊ ut pociora

tãdem obtineantur. Nam et pater meus Jheſus
xp̄s ab hoc ſeculo non migrauit abſq; dura ad
modū pena; ſed nec mater eius dulciſſima Que
ego ſum ut hinc immunis euadā. Nō eſt hoc
ꝑfecto poſtulandum ¶ O veneranda magiſtra
et dn̄a. dicito ſi libuerit ac denuncia patri meo
in quāta nunc afflictione detenta ſum. quā pe
nam ac preſſuram ſuſtineo. quaten9 ſue miſe
riatur pauperi filie fragili atq; imbecilli. plene
anguſtiarum et tormentorū. ploratuum et gemi
tuum. Rꝺq; ꝓpter ſuam bonitatem immēſam
in hijs tormentis michi miſericordiā impēdat
repiēs in me bonum aliqd qd remuneret. Vi
des nēpe ꝓpter vehemēciā doloris. nec ꝯueniēt
orare. nec ad deū meū. mētem meā dirigē poſſe
Sed et vos pijſſimi curatorēs curie pr̄is mei pre
fati. et preſertim tu benigniſſima mat̄ miſericor
die. dic ſepe dc̄o patri meo iā ſatis eſſe. Poſtu
la in pacem ac recōciliacōnem. ut tui honoris. ac
precū tuarū intuitu ꝯſolacōem aliquā experiar
atq; alleuiacōem ab hijs quibꝫ nunc premor fla
gellis ſicut de hijs pueris. q̄ ſcolaſticis incūbūt
diſciplinis fieri ſolitū eſt. Exhibe te in adinſtar
illius pie matris. que ſuā filiam eripit de mani
bus pr̄is eā verberātis. O nequā inimici. vēor
ne in meis verberibꝫ rideatis. eo mō q̄ de hijs in
ſoleſcētibꝫ pueris rideri ſolet. q̄ ꝓ ſuis petulācijs

in ſcolis verberãtur·dicendo ne perpecceretis:q̃
niã bene meruerũt. O peccatũ·ve tibi quia me
tormentis hm̃oi tradidiſti. Infelix illa hora·q̃
me ad patris mei offenſã induxiſti Jnicõ quip
pe·michi vultũ oſtendebas hylarem·teq; pla
cidum ac humanũ inſimilabas·ſed heu grauĩ
ter nimis tua cauda pungitiua eſt ac amara.
Quomõ igitur tibi ãplius fidẽ dabo. Cur te nõ
toto conatu deteſtabor. Nũq̃ itaq; ad me re
uerti valeas:nũq̃ michi te vidẽ ↄceſſum ſit.

Ad hec aĩa loq̃t tribulacõi ↄgtulans ei.

O Tribulacõ ſi per hec flagella tuta ſim·ac
ab illa morte horrẽda. ſeuiſſimaq; facta
immunis.ſi p hec ius hereditatis paterne qđ
iam pdideram recupero·et quod lõge melius ẽ
ſi p hec ad gratiã mei patris reuertar·atq; hinc
mea cõualeſcant premia:profecto michi opti
me eſt. Conabor tamẽ amplius hm̃oi facinus
nullaten9 admittere·iguorãs certe an vice al
tera mecum tã miſericorditer ageretur ut nũc
actum eſt. O magiſtra tribulacõ·ex quo m̃
mũdanas ſubtrahis cõſolacões ac ſocietates
nec m̃ poſſibile abſq; aliq̃ ↄſolacõe·viuere cõ
cede michi vel alterã aliquã cõſolacõnem·ad
ſupportãdum tuas afflictiones atq; tormẽta.
Fac illi9 dulcedinis pticipẽ· quã ſcđm pphete
verbũ·deus ſeruat et abſcondit, hijs qui timẽt

⁊ diligūt eum· per quā dulcedinem beatus ſte
phanus ſuos cruciatus michil eſtimabat· bea
ta agata ad carcerem tamq̄ ad nupcias pro
perabat· apl̄i in verberibus exultabāt· ſanctus
paulus dicebat ſe libenter gloriari in infirmita
tibus ſuis: ⁊ ita fuit de alijs quibuſlibet ſanctis
¶ O quid dico ego inſipiens ⁊ in cōſulta quid
dico. Cur amplius velim meū querere ſolaci
um. Hec eſt enim gloria dei: vt iuſticia eius im
pleatur· qđ vtiq₃ fit dū tribulacōem ac triſtici
am pacior pro prauis ac ignominoſis volupta
tibus· quibus preter dei nutum ac mandatum
frequēter fruitus ſum. Decencius itaq₃ eſt ac
racōnabilius ut dei volūtas impleat me verbe
rās ⁊ corrigēs q̄ de mea vanitate cōſolacōem
accipiā. In hoc itaq₃ mea ſit cōſolacō. ut pater
meus cū pacatus ſit· atq₃ in me pacem ⁊ iuſtici
am ſe oſculari faciat: te mediāte magiſtra me
a tribulacōe. Per te inſup illi ſimil facta ſū qui
repletus ē dolore ⁊ anguſtia: in ſua benedicta
paſſione. Debēt itaq₃ hij ⁊ plurimi alij pfecti
quos adducis ſufficere ad cōgratulacōem tue
preſencie. longanimiter expectādo illud excel
lētiſſimū regni celeſtis premiū ad qđ per te in
trādū eſt. Nōdū q̄dem tēpus ē percepcōis pmij
huius. Premiū ſiquidē labor ātecedit: nō laborē
pmiū. Fiat itaq₃ volūtas tua.

¶ Meditacõ aīe ad recognoſcendū bñficia dei ꝛ ad ſe exercitādum ad gr̃ias ei reddēdas.

PLaceat tibi dñe deus omnipotēs et pater glorioſe Placeat tibi ut ea ꝯgnoſcam ꝛ cō memorē bona. que mihi cotidie tribuis. Ingra titudo enim atqꝫ incōſideracō beneficiōꝝ tibi ſū me diſplicēt. optimoqꝫ iure nob̄ quidē vis tu orū bonorū vtilitatē afferri: tibi aūt honorem ꝛ gloriā. Ita igitur ſit dñe. Preſerua me ab illa tā reprehēſibili ambicōni. qua tuā velim furari gloriā illāqꝫ michi aſſcribere. Hoc enim faciēs dū gloriā que in tuā cedit ſortē michi vellē tol lere atqꝫ uſurpare iuſta viciſſitudine. vtilitatē omnē que in meā partem accederet. amitterēꝫ Lucifer ille de altiſſimis cadēs ad yma. michi exēplo eſt ne ita preſumā. Similiter et ille ſup bus pharizeus. Heu miſera quid habē valeo qđ ex te non accipiā. Cur igitur hinc meipſā glorificabo. Cur hinc honorari deſiderābo. Cur ceteros quibus hmōi dona nō aſſunt cōtēpnā Aufer a me dñe hanc ſtultā ac temerariā arro gantiā. Sit itaqꝫ tua gloria: tota tua. ¶ Sed ad tua me cōuerto beneficia. atꝫ in primis hec in natura ꝯſidero. Vbi animaduerto. ꝙ ſi celū tale. ſolē talem ac lunā ac tale vniuerſū qua le eſt hoc in quo nūc poſita ſum. ꝓpter me ſolā ac meū amorē inſtituiſſes: in ſtuporē ducerer

ois creatura hoc audiēs atq; diceret. Hec eſt illa a deo precipue dilecta. ꝓpter quā tā magna ac precioſa dona iſta creauit. Conſtat michilo min⁹ q etiā in hoc caſu mallē alioꝝ quoꝝūlibet m̄ adeſſe ꝯſorciū ꝙ in ſolitudine ēē linq. Nec etiā ſi in mea foret opcione vellē alios homines ali asq; beſtias ⁊ aues huic mundo deeſſe. in eoq; non viuere. eoq; mecū non vti. dū illoꝝ caren cia nulli eſſet profectui. quoniā abſq; ꝯſorcio min⁹ iocūda minusq; ḡrata eſt cui⁹libet boni poſſeſſio. Vnde me tibi hinc. magis obſtrictā; concipio q ſic me in hoc mundo ſtatuiſti. ꝙ ſi michi ſoli illū deſeruire feciſſes. Apparet igitur quātum me dilexeris. talem michi mūdum tri buēs; ac meo deputās vſui. Inſup ſi euētu aliq̄ racōne atq; intelligencia ꝑſus eēm deſtituta ⁊ hec in me tam precioſa natuē dona. ſuffragio medicīne. aut alio quolibet modo quis in inte grū repararet. nōne hinc me felicē multū repu tarē. necnō ⁊ illū q hoc m̄ impediſſet bn̄ficiū me deſerē vehemēter obligatā. Et tn̄ lōge p̄dario᷑ ac melio᷑ ē mea ꝯdicō. dū hec tuo dono ſuſcepta inteḡ ꝯſeruo; ꝙ ſi depdita aliūde recupero. Idē de ceteris oibus mei corpis mēbris ſētio. ⁊ gene ralit de oib; in me bonis ex dono creacōis accep tis. ¶ At vero grē dona. lōge hijs maiora ſunt ac pociora. ꝙuis ea que numeraui nature dona

mereātur habūdanter. tibi gratias reddi. te a
nobis diligi. te a nobis honorari. in hoc tibi red
dedo quod tuū eſt. Non ꝙ bonoꝝ noſtrorum e-
geas. ſ; quia ſic fieri voluiſti ⁊ diſpoſuiſti ad no
ſtrā vtilitatem ⁊ ad tuā gloriam. Super hec ta
mē omnia. in tales ſuperaddidiſti grās. ut te
poſſim habere in patrē ſingularē. ⁊ tanꝙ legi
tima filia totius tue hereditatis fieri pticeps.
atq; in tua gloria. glorioſe regnare ꝑhenniter.
Sed ⁊ poſtꝙ ꝓthoparēs. hanc ſuo demerito p
didit hereditatē. tu michi illā per lauachrum
regeneracōnis reſtituiſti. meq; voluiſti de tua fi
eri ſingulari familia ⁊ in lege tua xpiana. Que
ſunt dn̄e omnia opa mea aut merita. ut mihi
poſt ſic pditam hereditatē. hoc tā ſigulare. tā
q; excellens munus largiri volueris. ad illiꝰ p
ceptōnem miſericorditer me reuocās pre ceteris
illis omnibus q̄ veram fidem nō habēt tui. ac
tue veritatis noticia carētes. ⁊ ſine baptiſmo
ab hoc ſeculo decedētes. Eſt pfecto hec vna ſingu
laris ⁊ mera gratia. Vnde tibi ſoli merito glo
ria donāda eſt. Hic verſatur opꝰ mee redēpcō
nis. in quo longe plus ꝙ in mea creacōne labo
raſti. dū vſq; ad mortis acerbiſſime ſufferētiā
militaſti. O qualē gratiam. o qualem dilectio
nem. pro meipſa exhorreſcerē: quod pro me de
us meus pati dignatus eſt. Si tuam in terris

conuerſacōnem cōmemorare velim. a tempoꝛe conceptōnis incipiens vſq; ad horam aſcencionis in celum. michil preter euidencia incōparabilis dilectionis ac ſupmirabilis dignacōis ſigna reperiam: erga me indignā atq; miſerabilē ¶ At poſtqꝫ reſuſcitata ſiue per gratiam regeneracōnis baptiſmalis. ſeu quociens iterato. gladio peccati me morti reddidi obnoxiā. Quociens te meū patrem ac benefactorem offendi. te meum ſupremum iudicem qui me in momento potes in profūdum inferni precipitare. ſicut precipitaſti luciferum ⁊ angelos eius in tāta perfectione inſtitutos. ſicut et plurimos alios peccatores. quibus nō dediſti ſpacium. aut animum penitendi. aut veniam percipiendi. ſꝫ eos irremediabiliter cōdempnaſti. hic quidem in crimine deprehendens. ⁊ mox horribili patibulo infernali tradens ſuſpēdendos. Mirum quippe eſt ſi aliud quicqꝫ facere voluero qꝫ tibi regraciari. qꝫ tibi ſeruire. qꝫ te honorare. aut ego te vnqꝫ offendere audeo male tuis vtendo donis. ⁊ qd̓ omnē ſuperat offenſam. inde tibi etiam aliquādo bellū mouēdo. Sed ⁊ ſuper hec ut michi ſemp. cura moꝛbi parata ſit. penitēcie ſalutarē tribuiſti ſacramentum. ⁊ ad me tibi reconciliādū. ac veniā impetrandū tuos ſanctos ꝓ me ſieri oratores voluiſti. ⁊ ad eos eſſe recurrendū

quod vtiqȝ eſt mirãde dilectionis ſignũ. dũ il
los tuos amicos precipuos. ꝓ me dignaris in
terceſſores fieri. que mortem merui milleſies. ⁊
precipue illam tuã glorioſiſſimã matrem. meã
inſtituis aduocatã ⁊ mediatricẽ. ⁊ quod ãpli
us ẽ. mihi precipis ut in te ac tuum preſidium
ſpem meã atqȝ fiduciã totã reponã. Vere inex
cogitabilis eſt hec gratia quã michi preſtas.
iſtaqȝ dilectio quã michi inſinuas. talis ac tã
tus dñs. tali miſerabili. talis iudex: tali pecca
trici. talis maieſtas: tali vilitati. talis felicitas
tali infelicitati. ¶ Quid de illa dicã ſplendida
atqȝ opulẽta ſcripture ſacre mẽſa. in q̃ me ſuaui
ter reficis. vbi ꝓpiciam ⁊ ſalubrẽ aduerſus om
nem morbũ inuenio medicinã. vbi tota ẽ dul
cedo: ⁊ pro mea cõſolacõne ſuauiſſimus ſapor.
¶ Nec ſilẽcio preteriẽda eſt ſpecioſa illa tuorũ
ãgelorũ cuſtodia michi tua dignacõne impen
ſa. ad me dirigendũ ⁊ conducendũ in via hac
tenebroſa. ſqualẽtiqȝ deſerto ad me cõſolãdũ
⁊ auxiliandũ in neceſſitatibus meis. ad me po
tenter protegendũ cõtra terribiles illos ac ſe
uos canes infernales. ne me deuorẽt. aut ſuis
circũueniant fraudibus. ac ꝑuerſa ſubtilitate
qua pleni admodũ extant. Quomodo igit̃ illꝭ
reſiſterẽ ego ſola ignorãs atqȝ infirma. niſi il
lius tue p̄ſtate cuſtodie adeẽt preſidiũ. Certe

nequaq̄ poſſem. Demū quis ore proferre pote
rit aut corde cogitare. magnā illam tuam gra
ciam. qua ad percepcōnem ſātiſſime eukariſti
e. me dignaris admittere. vbi tua corpoālis ad
eſt pñcia. vbi aſſunt a miniſtrātes angeli. vbi
deuotoꝝ mētium potiſſimū inuenitur nutrimē
tū. vbi tua paſſio amātiſſima cōmemoratꝰ. vbi
demiq; patri oīpotenti deo. noſtre redempcōnis
ac purificacōis offertur ſacrificiū. Heu pater
mi dulciſſime. heu benefactor ſingularis. Heu
miq̄ ac milleſies heu m̄ tue miſerabili creature
que ꝓ hijs donis immēſis. ꝓ hijs gratie excel
lentiſſimis muneribus. dictim tibi malū ꝓ bo
no rependo. pro gratia ingratitudinem. pro ho
nore conuiciū. pro beneficō nullū ſeruiciū. ymo
maleficium. Videor michi profecto omnē crea
turā ad vſum meū tua bonitate creatam oculis
meis atq; auribus ingeri. legittimo iure ↄtra me
inſurgētem. ac de me cū clamore. valido damp
nacōnis vlcionem expetentem. Cōdempnetur
exclamāt hec maligna atq; inſenſata. que ſic
nobis male abutitur. que aduerſus creatorem
ſuum et noſtrum. nos ſuis cogit obſequi teme
rarijs ac turpibus voluptatibus. que nos to
tali malicie ſue ſubmittit. que ſuo medio ſoli
deo ſeruire deberemus. atq; in perſona eius bo
na operando eum laudare atq; magnificare

Abiciatur ergo hec maſcuola ab omni alia cre
atură ⁊ impugnetur velut omniũ noſtꝝ inimi
ca ⁊ proditrix noſtri ſũmi regis atq₃ imꝑatoris
Inſuꝑ racõnẽ meã atq₃ intelligẽtiã cõuerti ad
vanitatẽ aut curioſitatẽ· aut etiam hinc male
meo corꝑi velut beſtia vſa fũ. cõſtitui magiſtrũ
⁊ patrẽ meũ· malignũ illũ hoſtem humane ſa
lutis. cũ tamẽ tua demẽtia· tua eſſem in baptiſ
mo facta filia ⁊ diſcipula . Omnia que in bap
tiſmo ꝓmiſerã trãſgreſſa ſum· tuã cõuerſacõez
in tris· tuã ſalutarẽ paſſionẽ minime ꝯmemo
raui· aut ꝑ deuotã ꝯpaſſionẽ honoraui . Sacra
mẽtũ etiã fructuoſe penitẽcie duxi ridiculoꝝ dũ
mox poſt peticõem venie reuerſa fũ ad vomitũ
Scis ergo pater mi celeſtis· ꝙ ꝑuũ honorem
cultum aut reuerẽtiã tuis ſanctis atq₃ angelis
impẽderim· ⁊ preſertim fidelibus illis meis cu
ſtodibus· In frequẽtacõne menſe ſcripture ſa
cre· deſidioſa fui· aut curioſa nimis· inanem
magis querẽs gloriã ꝙ in virtute ꝓfectũ . Po
ſtremo dũ michi cõmemoro illã meam indig
nitatẽ· indeuocõnem· erga ſanctiſſimũ eukari
ſtie ſacramẽtum penitus cõtremiſco· et merito
erubeſco ⁊ expaueſco ⁊ timẽs ne in hac tã pre
cioſa refectione frequẽter ut iudas vſata ſim
aut prepropere ꝯmedẽs· aut ſicut hijs q̃ venit
ad nupcias nõ habẽs veſtem nupcialẽ id eſt

caritatem Nec hic habeo quid reſpondeam·mi
ſi ꝙ nūc de hoc quātum ualeo ⁊ ſi non quātum
debeo doleo·indeqꝫ magnam atqꝫ abhominabi
lem confuſionem intra me pacior et ſuſtineo.
Sum ita michi ipſi intollerabilis·ſi nō aliter vi/
tam correxerim ſi nō aliter ad te amandum ad
te colendum me impēderim ꝙuis id ſcio·quia
ex me nichil valeo ⁊ nichil ſcio. Eſt itaqꝫ ſpes
mea·finaleqꝫ refugium·in te ſolum.ut id bonū
quod cepiſti in me perficias et conſūmes vſqꝫ
in finem. Inſuper ⁊ malū quod in me dominat
magis ſemꝑ ac magis expurges ⁊ diluas. Pa
rum ſiquidem prodeſſet ymo michi grauiter
obeſſet.omne bonū michi a te conceſſum ſi nō
per te fuerit a malorum incurſibus inde finenter
cuſtoditū ⁊ protectum. Inſuper ⁊ niſi michi tu
ipſe donaueris ꝑ gloriā:q̄d ad pn̄s in ſpe indul
ges ⁊ ꝓmittis.

Meditacō aie cū ſe ꝑpendit in tempali ꝓſpi
tate ſimul ⁊ ſpūali·reddēdo grās deo.

O o excellētiſſima atqꝫ ineffabil' dei bonitas·o
pat̄ miſericordie ⁊ tocī⁹ ꝯſolacōnis·quibꝫ
meritis data ſūt michi hec bona que peccatrix
ſuſcipio. Cur michi bonū pro malo redditū eſt
gratia pro ingratitudine·pro dedecore gloria.
In te dn̄e in te ſurgit ſpiritus meus ⁊ omnia q̄
intra me ſunt te benedicant et magnificent.

Tu enim meas deles iniquitates. tu oēs infir
mitates meas ſanas: tu me liberas a morte. tu
me circūdas misericordia et miseracōibꝫ. tu re
